



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XI. De Plus Petitionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)

do actor & reus in eadem causa sive luto hærent, favorabilior est causa rei, quam actoris, *l. Favorabiliores l. 25. ff. de R. J.* Sunt tamen DD. qui, licet hanc doctrinam etiam ipsi probent, *c. cit. de spolio actori*, non possessorium, sed petitorium intentanti, obiecto sermonem esse, satis probabiliter velint, ut Petr. Barbosa *in l. Si de Vr 37. ff. de Judiciis n. 437. & 445.* Sed, utcumque hoc se habeat, ex distis

24. Dubium oritur, an casu, quò reus spoliū excipiendò obiectum probat, actor ad restitutionem ejus, cujus possessione reum deiecit, per sententiam sit condemnandus. Hoc certè suadere videtur ratio; quia iudex de re, de qua cognovit, etiam debet pronuntiare. Sed ratio hæc, licet vera sit, actorem tamen ad restitutionem absolutè condemnandum, non persuadet. Imò eum ad restitutionem de Jure non compellendum, persuadet, *c. Cum dilectus cit. §. Verum*, clara decisio, & ista non minùs clara ratio partim; quia finis exceptionis est, repellere agentem: non consequi rem, quæ excipiendò in ju-

diciū venit, *l. Vindicantem 17. ff. de Evictionibus*; quia exceptio est exclusio actionis, *l. Exceptio 2. ff. de Exceptionibus*; & propterea spoliū exceptio non operatur restitutionem, nisi faciendam sub conditione, quæ actor actionem suam prosequi velit: partim verò; quia iudex officium suum partibus impertiri & pronuntiare debet juxta modum factæ ab iis propositionis, *c. Qualiter 24. de Accusatis. & c. Licet 31. de Simonia ibi, Ut juxta formam judicii sententia quoque distinetur*; ac proinde, si reus solum excipiat, exceptione probatâ actorem ab agendo solum repellere, Glossa *in c. Cum dilectus cit. §. Refutatio & ibi Panormi n. 7.* sicut quando, ut à testimonio dicendò repellatur, testi obijcitur crimen, illò probatò, testis à testimonio solum perhibendò repellitur: non etiam pena criminis ordinariâ punitur, neque inter infames habetur; quia non ad hoc, sed ad illud tantum exceptio, non accusatio, proposita fuit, per textum, *c. cit. in fine & c. 1. de Except.*



TITULUS XI.

De Plus Petitionibus.

SUMMARIUM.

- | | |
|---|--|
| <ol style="list-style-type: none"> 1. Ratio Ordinis. 2. Plus peti potest Re, 3. Tempore, 4. Locò, 5. Vel Causâ. 6. Olim quovis modo plus petens: 7. Hodie super majori quantitate actionem extorquens causâ cadit. | <ol style="list-style-type: none"> 8. Tempore plus petens refundit expensas, 9. Et solutionis tempus residuū duplicat. 10. Tribus casibus exceptis. 11. Aliò modo plus petens sumptus triplicatos refundit Civili, 12. Non etiam Canonico Jure, 13. Et tribunalium praxi spectatâ. 14. Neque etiam, si ante litis contestationem, |
|---|--|

15. *Vel ante cause conclusionem desistat*

16. *Extra casum dolò extorta cautionis.*

Inter incidentes quæstiones etiam est, quæ reus, agendò vel excipiendo, ab actore plus, quam debetur, peti proponit. Unde cognitionum Ordini, circa incidentes quæstiones generatim observando, hæc Rubricâ subijciuntur, quæ de incidentibus in iudicium plus petitionibus Jure sunt constituta.

Plus autem petitio fieri potest quatuor modis Re, Tempore, Loco, vel Causa, c. *Unico hic* §. *Si quis agens* 33. *¶ Plus autem, Instit. de Actionibus.* Re sive quantitate actor plus petit, si in libello petat, v.g. viginti, vel totum, aut majorem partem, cum solum decem, vel pars, eaque minor debeatur, §. *cit. V. Re*; cum enim major numerus & totum plus sint & contineant, quam numerus minor, aut pars, majorem numerum, aut pro parte totum petens, sibi debitò plus petit, *Vivianus in c. cit.*

Tempore, cum petit ante diei constitutionis adventum, vel ante impletam conditionem, quæ pacto seu obligationi est adjecta, §. *cit. V. Tempore*; cum enim dies solutionis pars obligationis sit, non secus ac summa ipsa, l. 1. §. 2. *ff. de Edendo*; quæ ratione, qui tardius solvit, quam solvere debet, minus solvere intelligitur, eadem, qui præmaturè petit, plus petere videtur, ait *Imp. V. cit. Vivianus l. cit.*

Loco, cum id, quod certò loco v.g. Augustæ debetur, alibi v.g. Viennæ petit, & sibi dari oportere intendit sine commemoratione loci, in quem solutio, vel præstatio est collata, §. *cit. V. Loco*; quia hujusmodi purâ petitione debitori auferatur utilitas, quam haberet, si locò conventò præstaret solutionem, *V. cit. & Vivianus l. cit.*

Causâ denique plus actor petit, cum v.g. pro equo, debito in genere, equum Neopolitanum, vel certum equum in specie, aut pro alternativè debitis equo vel viginti aureis, alterum ex istis v.g. equum determinatè & præcisè petit, §. *cit. V. Huic autem*; quia in hujusmodi, & præsertim alternativis promissionibus ac debitis, electio regulariter est promissoris seu debitoris, l. *cum in*, 3. §. *fin. ff. de Condit. indeb. & Reg. In alternativum* 70, in 6., ac proinde, sicut priori loci, ita hoc petendi modò adversario electionis, ex conventionione ipsi competentis, utilitas addimitur. Quæ causa est, cur ei, qui loco plus petit, hunc sive causâ plus petentem proximum sive similem, ei dicat *Imp. V. cit. Manzius in §. Plus autem cit. n. 36.* Neque refert; quòd res petita vilior sit eâ, quæ debetur; quia læpè promissori facilius est præstare id, quod est majoris pretii, quam id, quod est minoris, §. *cit. V. Quin etiam*; propter specialem utilitatem, quam ex ista percipit, aut, quò in istam fertur, affectum singularem, *Manzius l. cit. n. 38.*

In Plus petentes poenæ pro temporum varietate variæ sunt constitutæ; nam secundùm Jus vetus, qui dictorum modorum aliquò plus petebat causâ cadebat, *pr. cit. litèmq;* unà cum toto credito perdebat, *Harprecht in §. cit. n. 26.* licet aliquando ex gravi causa, scilicet ob defectum ætatis, aut justissimi erroris interventum, in integrum restitueretur, *pr. cit.*

Hic tamen veteris rigor novo Jure mitigatus est: exceptò casu, quò quis, minorem sibi deberi sciens, nihilominus à debitore super majore quantitate cautionem obligatoriam extorserit; hoc enim malitosè ausus, si ante litem contestatam non poenituerit, causâ hodiè que cadit, & totum debitum amittit, l. *fin. C. hinc*, cum; quòd, ut ibi dicitur, odiosæ contrahentium cal-

nium calliditates sint amputandæ: tum verò; quòd geminans delictum pœnæ mitigationem non mereatur, *citt. Harprecht n. 28. & Manzius n. 16.*

8. Exceptò itaque hóc casu antiquum Jus mitigatum est, Imprimis circa plus petitionem quoad tempus à Zenone Imp. ut, qui à debitore solutionem vel alicujus rei præstationem ante constitutum diem, vel conditionis eventum peteret, impensas litis solveret, & ad solutionem concessum tempus duplicaret, *l. 1. pr. & l. Zenonis 2. pr. C. hâc Rubr.* vel totum vg. duos annos ad solvendum ab initio concessos, ut *ll. citt.* dispositionem intelligendam, ex §. *Temporales 10. V. Hodie autem*, *Instit. de Except.* desumit Schneidewinus in §. *Si quis agens cit V. Sed hæc quidem n. 3.* vel saltem tempus, quod supererat ad solvendum; ut vg. pro duobus mensibus, qui de duobus annis supererant, quatuor menses expectentur. Quæ à Zenone prodita, & *c. Unico cit.* à Gregorio IX. approbata pœnæ explicatio conformis est textui *l. cit.* quòd ita plus petens tantum tempus expectare jubetur, quantum ipse prævenit, & *l. Aut damnum §. 7. ff. de Pœnis*, Mynsinger in *V. Hodie cit. n. 3.* & Manzius *l. cit. n. 44.* Ratio autem ejus introducta est; ut actores, eâ perterriti, litium tempora accuratius observarent.

10. Sunt tamen etiam casus, quibus actor tempore plus petens huic induciarum, five temporis duplicationi obnoxius non est, videlicet Primò, si facti pœnitens à plus petitione ante litis contestationem recedat, ut colligitur ex *l. fin. & c. Unico. citt.* quòd ante hanc quis non petiisse, sed petere voluisse videatur, *l. Amplius 15. ff. Rem ratam haberi.* Secundò, si reus induciarum duplicationem non petat, & plus petitionis exceptionem non opponat. Mynsinger in §. *Si quis cit. V. Et si quidem,*

n. 4. quia multa Juris beneficia non profunt, nisi legitimè petantur, Gaill. *Prædic. Lib. 6. Observat. 27. n. 5.* Tertio, si debitor bona sua dilapidet; ut suo tempore ipsum solvendo amplius non esse, actor vereatur; hóc enim casu, antequam solutionis dies advenerit, saltem cautio peti ab actore potest; cum, ubi periculum in mora est, ante tempus agi possit, *l. Ubi adhuc 29. C. de Jure dotium*, Mynsinger in §. *Hodie cit. n. 2.* & Manzius in §. *Si quis cit. n. 54.*

Deinde circa reliquos plus petendi modos eundem antiqui Juris rigorem Justinianus Imp. ita temperavit; utre five quantitate, locò vel causâ plus petens omne damnus, quod ex intempetiva petitione reus senerat: & sumptus, quos in viatores seu apparitores fecerat, relatare in triplum teneretur, *l. Zenonis cit. §. Tripli 24. V. Sed hæc quidem, cit. Instit. de Actionibus.*

Quam tripli pœnam de Jure etiam Canonico tenere, sentire Glosa in *c. Illicum cit. V. Amplius* & ratio suadere videtur; quòd ea Juris Civilis dispositio à sacris Canonibus nullibi sit correctâ. Sed verius, eam *c. cit.* sublatam, cum Parnormit. *ibi n. 9.* docent Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 8.* & Gonzalez in *c. cit. n. 14.* quia Gregorius IX. textu illo, re vel causâ plus petentem, in expensas condemnandò sine ulla mentione pœnæ tripli, hanc non obscure abrogavit.

Neque hinc sequitur, supervacantiam esse, *c. cit.* dispositionem; quòd temerè & calumniosè litigantes in expensis condemnati jam sint per Jura antiquiora, *c. Calumniam 4. de Pœnis &c.* quia his Joribus in expensas condemnatio fiebat solum accessorie; & propterea iudex post sententiam super principali latam non poterat reum in omnes amplius condemnare; cum officio suo jam sit functus, *l. Terminas*

Terminato s. C. de Fru. & lit. expens.
Per dispositionem autem *c. cit.* peti &
fieri condemnatio in expensas potest prin-
cipaliter & per modum pœnæ; porrecto
etiam post latam sententiam novò libel-
lò, vel etiam iudiciò adhuc pendente, of-
ficiùm iudicis implorandò, *citt. Panor-*
mit. n. 10. & Vallens. n. 5.

33. Quin hodie in foro etiam Seculari
dicta tripli pœnæ ex consuetudine lo-
cus non est, teste *citt. Panormit. num. 9.*
& posterioribus his modis plus petenti-
um importunitatem paulò aliter coërce-
ri, notat *citt. Manzius n. 48. & Re qui-*
dem vel Causà plus petentem ad expensas
adversario condemnari: eum autem, qui
plus Locò petit, debitori teneri ad inter-
esse; quòd ipsi adimatur utilitas, quàm
haberet, si statuto locò solvisset.

34. De Jure etiam ex communi multo-
rum sensu, plus petitio non punitur, si in
libello clausula, *Salvo jure superflui*, vel
Reservata potestate addendi vel minuendi,
vel *Omni meliori modo &c.* sit adjecta,
Barbosa notat in *c. cit. 17. & 18.* uti eti-
am, si actor pœnitens à plus petitione de-
sistat. Quod omninò certum est, si de-
sistat ante litis contestationem, per text.
c. Unic. cit. ubi *Punitur importunitas plus*
petentium, si super petitione sua duxerint
in iudicio persistendum; quia, lite nondum
contestatà, desistens plus nondum petivit,
sed petere tantùm voluit, *l. Amplius cit.*
Glossa in *c. cit. V. In iudicio*, & Tholosan-
Synag. Lib. 25. cap. 5. n. 8.

Ab eo autem, qui in ipso litis jam
contestatæ progressu desistit, plus peti-
tionis pœnam non evitari, cum Glossa in
citt. V. In iudicio, communis est sententia
DD. cum propter text. *l. fin. C. hâc Rubr.*
tum verò, quòd talis temerè litem movit,
se jam videatur; ac proinde litis sumptus
adversario reddere teneatur, *l. Eum quem*
79. ff. de iudicio.

Sed meliùs ab actore, etiam post li-
tem jam contestatam, hanc plus petitionis
pœnam evitari, cum *citt. Panormit. n. 6.*
defendunt laudati Vallens. n. 7. & Pir-
hing n. 10. dummodo, se probabili ig-
norantià, aut iusto errore ductum, osten-
dat. Ratio, quâ moventur, est; quia *c.*
citt. plus petentium importunitas puni-
tur, si perseveraverint in iudicio: quod
non verificatur de eo, qui, lite etiam jam
contestatà, sed ante conclusionem in cau-
sa, imò ante sententiam recedit; cum ju-
diciùm, quamdiu causa discutitur, ac
proinde usque ad conclusionem in causa,
imò sententiam ipsam daret, *c. Forus 10.*
ibi, *Dum discutitur, iudiciùm est, de V. S.*
Confirmatur; quia in pœnis legalibus pœ-
nitentiæ usque ad sententiam est locus,
secundùm Bartol. in *l. In Criminali 5. C.*
de iudici. n. 3. & Dynum in l. Amplius
citt. ut colligitur ex *l. Qui cum majore 14.*
s. 8. & l. In Servitutum 16. §. 3. ff. de Bonis
libert. quorum textibus accusantis & in
servitutum petentis pœnam legalem non
contrahunt, qui in accusatione vel petiti-
one illa usque ad sententiam non perseverant.

Ratio in contrarium exiguum vim
habet, partim; quia, temerè litem movisse,
dici nequit, qui iusto errore ductus fuit
ad eam movendam: neque talis ei nocere
debet, per *l. proxime cit.* partim; quia ad
sumptus litis regulariter non tenetur, qui
iustà causà litem movit, *l. In solidum 78.*
§. 2. ff. de Legat. 2. & l. Omnes 33. §. fin.
C. de Episc. & Cleric.

Minus urget, quò Glossa præcipuè 16.
moveretur, *l. fin. C. hâc Rubr.* textus; quia
secundùm hunc post litem contestatam
pœnitentiæ locus non est, cum plus peti-
tur dolosè, & super ea petitione cautio
exigitur; ac proinde duplex admittitur
delictum, ut *citt. Bartolus n. 9. & Panor-*
mit. n. 7. observant.

Aa

TITU-